



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

10 An consumens rem alienam in necessitate tenearis restituere, si ad
pinguiorem veneris fortunam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM IX.

An pauperi patienti extremam, vel grauem necessitatem, liceat aliena surripere, eaque consumere.

- 1. In extrema necessitate potest, si alia via succurrere sibi non valet.
- 2. An teneatur prius rogare diuites, ut sibi succurrant.
- 3. Non potest per vim à domino impediri, quin pauper sibi succurrat extreme indigens.
- 4. In graui necessitate plures consent inuiso domino non posse aliena surripere.
- 5. Probabilis est oppositum.
- 6. Satis fundam. num. 4. adducto
- 7. Si proximus in eadem necessitate existit, non potest ab illa rem surripere.
- 8. Expenditur, an tenearis reddere debitum Petro, eo indigente equaliter.

IN extrema necessitate ferè omnes Doctores affirmant, si alia via sibi succurrere non potest, quia quilibet habet strictissimum ius, propriam vitam defendendi, & consequenter assumendi quæ ad hanc defensionem necessaria sunt. Item diues à quo alium pauper bona, habet obligationem ea ipsi donandi. Ergo non est præsumendus iniustus, vel saltem non erit rationabiliter. Adde omnia in illa necessitate facta esse communia ab auctoritate naturæ, eum ad conferendam hominum vitam ea produxerit, & sub hoc onere certis dominis tradiderit.

1. Dixi, si alia via sibi succurrere non potest. Nam si rogando amicaliter diuitem, ut succurrat, potest sibi prouidere, nullatenus licet ab eo bona clam auferre, quia nemini licet aliena surripere, cum propria per donationem habere potest, sic supponant omnes, & expresse notauit Coninch. disp. 27. dub. 10. num. 18. Lestius lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 66. vbi dicit omissionem huius conditionis non videri peccatum mortale, si scandalum abest, quia siue dominus concedat, siue non, potest accipere pauper sibi necessaria. Ergo est solum inordinatio in modo quæ non videtur ita grauis. Addit verò Coninch ab hac petitione non excusari pauperem, etiam si nobilissimæ familie sit, & valde pudeat mendicare; quia in tanta necessitate pudor ille inquit vincendus est, & aliquibus diuitibus necessitas manifestanda, præcipue cum huiusmodi necessitas non ex culpa euenire solet. At hoc durum mihi videtur, quia inde obligaretur pro remedio suæ necessitatis extremæ, grauem saltem lumbre, qualis est ab statu cadere mendicando, quod aliqui ita ægrè ferunt, ac ipsam mortem. Quare Lestius dixit vitum honestæ conditionis non teneri otiosum mendicare, fauet que Lorca 2. 2. sect. 3. disput. 39. membr. 1. num. 9. reputans eum esse in extrema necessitate, qui est in certo periculo ita decidendi ex honesto statu, ut non possit vitam sustentare, nisi discendo artem mechanicam, aut mendicando, quod licet verum non sit, probat tamen esse grauissimum malum. Ergo si ob vitandam grauem necessitatem potest proximus aliena surripere, poterit ob vitandam extremam, absque obligatione mendicandi. Quocirca solum existimo obligari posse pauperem vini, vel alteri diuiti secretò necessitatem manifestare, si probabiliter credat eos hac via esse succurosos; quia hæc manifestatio non videtur grauius inuisioniosa, neque grauius pudorem causare.

2. Hinc fit sic accipientem non posse à domino impediri, quod si impediat eum repellendo, iniustus est, & hanc iniustitiam potest accipiens propellere, etiam diuitem occidendo; si opus sit. sic Lestius lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 69. Coninch. disp. 27. dub. 10. num. 169.

4. In graui verò necessitate est inter Doctores controuersia, an licitum sit aliena inuiso domino surripere? Negare videtur D. Thomas 2. 2. quest. 66. artic. 7. & ibi Caietanus, Sorus lib. 5. de iust. quest. 3. artic. 4. Couarruias regul. peccatum. part. 2. §. 1. n. 1. & supponit Suarez disp. 7. de charitate, sect. 5. num. 8. & fauet cap. si quis, de furtis, vbi imponit penitentiam furanti in necessitate graui; dicitur enim, si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel panes, pœnitentia tres hebdomadas, & si reddiderit, non cogatur ieiunare. Ratio autem est, quia pauperi non licet surripere, nisi in quantum diues obligatus est illi dare, aliàs esset bellum iustum ex vtraque parte, sed diues obligatus non est huic patienti grauem necessitatem dare, sed potest eo omisso aliam eligere. Ergo. Quòd si dicas id verum esse, cum dominus non habet bona, quibus possit omnibus patientibus grauem necessitatem subuenire, secus si illa habeat. Hinc sumo argumentum: Pauperi constare non potest diuitem habere bona superflua status, quibus omnibus egenis grauius succurrere possit, cum necessitates graues frequentes sint, imò contrarium debet præsumere. Ergo stante hac ignorantia non habet ius aliena surripendi.

5. Nihilominus probabilis est cetero patientem grauem necessitatem, si alia via succurri non potest, posse clam à diuite aliena surripere, sic docuit Nauarr. cap. 17. num. 5. Petrus Nauarr. Ferr. de Castro Sum. Mor. Pars. 1.

lib. 2. de reb. cap. 1. num. 574. Lestius lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 71. Valquez cap. 1. de elemosyna, dub. 7. num. 60. Coninch. disput. 27. dub. 10. num. 162.

Ratio sumitur ex contrario fundamento. Est enim iniusta diuiti obligatio ex charitate succurrendi culibet patienti grauem necessitatem, sicut patienti extremam, si commodè potest. Hoc autem sufficienter pauperi constat, si illi constet de sua graui necessitate, & de potentia diuitis, & ignoret, an alij pariantur eandem, secumque concurrant: iis enim conditionibus positis, tenetur diues succurrere, & in acceptis à paupere consentire. Ergo pauper accipiens non peccat. Quòd si de facto plures patientes grauem necessitatem concurrant, & cognita sint à diuite, quibus omnibus satisfacere non potest ex bonis, quæ sibi supersunt, sed solum vini, vel alteri, credo tunc non posse pauperem clam surripere, si ipsi non constet nolle aliis diuitem elemosynam impetiri, quia in tantum potest, in quantum diues tenetur. At in tali casu diues non tenetur ei elemosynam concedere, sed potest eam aliis seruire. Ergo. Neque obstat patientem extremam necessitatem posse à diuite clam necessaria surripere, etiam si plures alij similem necessitatem patientes concurrant, & diues non possit omnibus prouidere, quia ius conferuandi vitam, quia est nimis exemptum, hanc tribuit facultatem, neque vllus conquisit rationabiliter potest, quòd sic conferuare studeat. sic Valquez de elemosyna, cap. 1. dub. 7. num. 62. Fateor tamen ob hanc rationem etiam in graui necessitate esse probabile. Nam cum diues omnibus illis diuisim tenetur prouidere, qui præuenit accipiendo, iure à natura sibi concessio videtur uti.

6. Neque nostre sententiæ obstat, cap. si quis, nam, ut rectè explicat D. Thomas 2. 2. quest. 66. artic. 1. & ex illo Valquez dicto dubio 7. num. 67. Lestius lib. 2. cap. 12. dub. 12. sine Coninch. disput. 27. dub. 10. & alij. Loquitur textus, quando furtum commissum est propter necessitatem communem, non tamen urgentem, & grauem: cum verò dicitur, si restituerit, non ieiunet, indicatur duplicem esse furanti extra grauem, & extremam necessitatem penitentiam imponendam. Primò trium hebdomadarum penitentiam. Secundo ieiunium, quæ ieiunij penitentia restituendi statim non imponitur. Quòd si velis loqui textum de furante in graui & extrema necessitate, respondere debes. Primò peccasse sic furantem, quia indebitè alienam rem vsurpauit, quia fortè rogando poterat obtinere. Secundo impostam esse penitentiam non ob peccatum, sed ob peccati similitudinem. Adde textum non esse Pontificium, neque ex aliquo Concilio desumptum, sed ex pontificali Theodorici Ratio autem, quæ illa sententia nitetur, satis ex probatione conclusionis nostræ dissoluta est.

7. Aduerto tamen primò, te non posse etiam in extrema necessitate constitutum, surripere rem alienam ab alio æquè illa indigente, quia tunc ipse non tenetur sibi dare, & ratione possessionis ius acquisiuit prælationis. Secundo aduerto rem valde pretiosam te non posse ab illo sumere, ut tua necessitate satisfacias, quia, ut supra dixi punct. 4. non tenetur diues cum tam graui iactura bonorum tuæ necessitati prouidere, quia id cedit in reipublice damnum.

8. Dices. Ergo debens ex furto Petro magnam quantitatem, tenetur cum tali periculo Petro reddere, si videat Petrum in æquali necessitate existere, quia retentio est primæ acceptionis continuatio. Si ergo non licet primò accipere, neque licebit acceptum retinere, concedit Lorca 2. 2. disp. 38. n. 11. quoties res debita Petro in specie existit, quia Petrus habet ius in specie am vendicandi, quò iure non videtur priuandus ob necessitatem possidentis, cum ipse ea æquè indigeat, & possessio iniusta non debet raproti prodesse, & domino nocere, & hoc mihi probabilis videtur, si verque creditor, & debitor in necessitate concurrant, neque prius debitor, quam creditor, consentit. Valquez de elemosyna, cap. 1. dub. 9. num. 71. esto censam satis probabile oppositum, ut affirmat Lestius lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 13. & Coninch. disp. 27. dub. 10. n. 171. Qui mouentur ex eo, quòd pro eo tempore cessat vis, & potestas dominij iure gentium introducta, & res sunt quoad vsum primò capientis, & possidentis. Sed responderi potest hoc esse verum, si capiat, si possideat iuste: at capiens, & possidens per furtum, non capiat, neque possidet iuste, neque tollit domini possessionem. Necessitas autem superueniens non potest facere, ut iuste possideat, si simul cum necessitate domini concurrat. Ergo.

PUNCTUM X.

An consumens rem alienam in necessitate, teneatur restituere, si ad pinguiorem veniens fortunam.

- 1. Ex quo pendeat resolutio huius difficultatis.
- 2. Si alienum habens ex contractu transferent dominium, teneatur secus si habeat alienum ex contractu non transferenti dominium.
- 3. Si ex delicto alienum habeas, communior sententia docet te esse obligatum restituere. Contrarium est satis probabile.



Resolutio huius puncti pendet ex dictis punct. 4. ut bene advertit Coninch. *disput. 27. dub. 10. n. 161. & 164. concl. 2.* Valq. *opuscul. de elemos. dub. 8. n. 67.* ibi enim asserimus plures esse casus, in quibus debet diues gratis omnino, & sine obligatione elemosynam concedere, & plures **ca.**, in quibus poterat obligationem restituendi imponere. In his ergo casibus, in quibus hæc obligatio imponi potest, si rem accipias fecerit, teneris, cum ad pinguiorum veneris fortunam, restituere, quia non potes alia via accipere, quam ipse teneatur præstare. Neque præsumi potest nolle diuitem sibi rem restitui, cum id velle possit.

2. Difficultas ergo est, an si alienam rem ante necessitatem possideas, & in necessitate constitutus illam consumas, excuseris à restitutione, sicut si tunc accipiens rem illam consumpsisses? Quia in re certum est, si rem possessam & tibi necessariam habebas ex contractu transferente dominium, qualis est mutuum, vel venditio, teneri restituere, quia tunc non consumis alienum, sed proprium, & obligatio ex contractu reddendi rem perseverat. Coninch. *disput. 27. dub. 10. n. 167.* Valquez *de elemosyna, capite 1. dub. 8.* Bonacina *disput. 3. quest. 4. de charitate, punct. 6. num. 16.* & alij apud ipsos. Si autem ex contractu non transferente dominium habebas, verbi gratia, ex commodato, vel deposito, censeo probabilius te non esse obligatum restituere, quia nec restituere teneris ex re accepta, cum nihil illius superstit, ut suppono, neque ex iniusta acceptione, cum nulla fuerit, neque etiam ex contractu prius facto, licet enim solidam obligare potest ad reddendam rem, quando culpa depositarij perit, secus si absque illius culpa, ut in presenti contingit, & ita tradunt plures relati ab Azorio *lib. 12. c. 8. quest. 7.* Torres *disp. 82. dub. 7. ad finem.* quibus accedit Petr. Nauarr. *lib. 4. de restitu. c. 26.* Bonacina *disput. 3. quest. 4. punct. 6. num. 26.* Lessius *lib. 2. c. 16. dub. 11. num. 5.*

3. Quod si rem alienam tibi necessariam habes ex delicto furti, vel rapinae; communior sententia tenet te obligatum esse transacta necessitate similem restituere; quia esto licet illam consumas in necessitate: obligatio ante necessitatem contracta ex iniusta acceptione non perit, sed suspenditur. sic Valquez *lib. 8. fin. num. 68.* affirmans neminem contradicere. Bonacina *dict. num. 16.* Petrus Lorca *disp. 38. num. 14.* & alij plures apud ipsos. Ratio est, quia ad subleuandam necessitatem opus non est debitum extinguere, sufficit eius restitutionem impedire. Verum contrarium censeo facis probabiliter, & forte probabilius dici posse, cum Petro Nauarr. *lib. 4. cap. 4. num. 24.* & 25. Coninchus *disput. 27. dub. 10. num. 66.* quia sic consumens rem videtis satisfacere obligationi restituendi antea contractæ, cum rem consumas, sicuti dominus tenetur velle consumi, si apud ipsum raret. Et confirmo. Ab onere restituendi rem, liberatur iniquus detentor, si absque eius culpa perit res furto ablata, eodem modo apud dominum existens peritura, ut bene probat Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 15.* Atqui si res illa apud dominum existeret, eodem modo periret, ac perit apud se iniquum detentorem, cum ipse dominus teneretur tibi in necessitate extrema existentia donare, Ergo.

PUNCTVM XI.

Utrum existens in necessitate, tenearis rem alienam restituere creditori, necessitate simili laboranti, vel possis restitutionem omittere.

1. Non teneris, si alienam retines ex contractu.
2. Si retines ex delicto, neque res existit in specie, non teneris.
3. Secus, si res aliena in propria existit specie.
4. Idem quod dictum est de tua necessitate, dicendum est de necessitate illorum, qui tibi in primo gradu coniuncti sunt.

Dupliciter rem alienam retinere potes, vel ex contractu, vel ex delicto. Si habes ex contractu, probabilius censeo non solum in extrema, sed etiam in graui necessitate te non esse obligatum restituere, quia in pari casu melior est conditio possidentis, quod est manifestum, si habes rem ex contractu transferente dominium. At si habes rem ex contractu depositi, precarij, commodati, quibus dominium non transfertur, neque finitum est tempus contractus, est probabilius, quia licet dominium apud te non sit, est tamen iusta possessio, & vsus pro eo tempore. Ergo potes te, utriusque creditori præferre. sic Valquez in *opuscul. de elemos. c. 1. dub. 9. n. 73.* Bonacina *disput. 3. quest. 4. de charit. punct. 6. n. 24.*

2. Si autem ex delicto debeas, distinguendum est, vel res debita existit in specie, vel non? Si non existit, non teneris tunc cum æquali tua iactura restitutionem facere, quia & dominium, & possessio tibi fauent, nec potes diel retinere alienum, sed proprium cum obligatione reddendi ablatum; quæ obligatio ob necessitatem suspenditur. Quod non solum existimo verum in extrema necessitate, sed etiam in graui, gratis enim necessitas eo modo, quo extrema, facit omnia communia. sic Lessius *lib. 2. c. 16.*

dub. 1. num. 20. Limita, nisi causa fueris necessitatis creditoris, quia tunc debes cum iactura propria æqualem creditoris reparare, quia est melior illius conditio. sic Bonacina *disput. 3. quest. 4. de charit. punct. 6. n. 14.*

3. Si verò res debita ex delicto in propria existit specie, placeat mihi sententia Valquez *de elemosyna, cap. 1. dub. 9. num. 70. & 71.* & Lorca *2. 2. disput. 38. num. 10.* Nauarr. *cap. 17. num. 60.* te esse obligatum restituere creditori, si creditor prius actu, vel eodem tempore in necessitatem incidit; quia nõ est æquum ob vsurpata possessionem te velle creditori simili necessitate laboranti præferre. Si autem tu prius in necessitatem incidisti, quia ratione necessitatis possides rem; seu tei vsum iuste istam possessionem continuare censeris, quando alius in necessitatem incidit, & obinde à restitutione excusaris.

4. Quæ dicta sunt de tua propria necessitate, dicendum est de necessitate parentis, aut filiorum, vxoris, imò & fratrum: ius enim fauendi iis tibi coniunctis præferendum videtur creditori sic pluries relatis Bonacina *disput. 3. quest. 4. de charitate, punct. 6. n. 14.* quamuis Valquez *de elemosyna, c. 1. dub. 9. n. 74.* in tractu limitet, cui creditori existimat esse præferendum.

PUNCTVM XII.

Ex quibus bonis facienda est elemosyna.

1. Facienda est ex propriis in casu graui, & extrema necessitatis, ubi alienum quando patiens necessitatem habet ius suspendendi.
2. Quid dicendum de bonis à communitate possessis. Quia ratio de illis facienda sit elemosyna ab hominibus illius communitatis.
3. Quid illicitè, & turpiter acquisitis.

Faciendam esse elemosynam ex propriis, & quorum habes administrationem, & non ex alienis nemini est dubium. Non enim iniustitia committenda est, ut charitati subuenias, ut rectè docuit Augustinus in *lib. 50. homil. homil. 7.* relatus in *cap. fore. 14. quest. 5.* Solum casus extreme necessitatis excipitur, ad cuius medium aliena accipere potes, si alia via nequit prouideri. In casu graui necessitatis solum hæc habent locum, quando viget præceptum elemosynæ, & ipse patiens necessitatem illam ab inuito accipere poterat. Valquez *de elemos. c. 2. dub. 2.*

2. Ex his inferitur, quid dicendum sit de bonis, quæ ab aliquo communitate possidentur? Dupliciter enim possidentur possunt, vel collegialiter, vel particulariter: collegialiter possidentur, cum non in singulos diuiduntur, sed à communitate, vel eius, qui illius curam gerit, dispensantur. Particulariter possidentur, cum in singulos distribuenda sunt, singulisque illius communitatis ius habent, ut sibi signata portio detur. Si bona collegialiter possidentur, poterit communitas, seu maior illius pars, vel qui illius curam gerit, facere eas elemosynas, quæ rectè gubernationi illius communitatis expedire videri fuerint. *cap. cum in cunctis, de his que sunt à maiori parte capituli.* At si bona particulariter possidentur, necessario requiritur contentus omnium illius communitatis, ut elemosyna concedatur, quia cum ad quemlibet sua pars pertinet, nequit sine eius consensu defraudari, colligitur ex *cap. cum omnes, de constitutionibus.* sic Ioann. Medina *de elemosyna, cap. 4. Valent. 2. 2. disput. 3. quest. 5. vers. secundò.* Valquez in *opuscul. de elemosyna, c. 4. n. 2.* ubi subdit cum Ioan. Medina. quamuis portionarij non habeant vocem in Capitulo, si bona eroganda in elemosynas in illos essent diuidenda, nequaquam sine illorum consensu posse erogari. At credo in hac parte consuetudini esse standum: cedunt enim portionarij huius iuri, cum Ecclesiam ingrediuntur, in qua non habent vocem in Capitulo, ut possit Capitulum ex bonis communibus, ad ipsorumque pertinentibus elemosynas facere, prout rectè gubernationi expedire visum fuerit. Alias deberet Capitulum explorare consensum non solum præsentium, sed absentium, ut aliquam elemosynam faceret, quod est contra vsum receptum.

3. Secundo inferitur, quid dicendum sit de illicitè, & turpiter acquisitis, an possis facere elemosynam? Pro cuius decisionem suppono dupliciter te posse rem alienam illicitè acquirere. Primò vsura, furto, & rapina. Secundo præmio & mercede alicuius illicitæ actionis, scilicet fornicationis, occisionis, iniustæ sententiæ, beneficij, Ecclesiasticæ collationis. Si furto, vsura, & rapina res acquisita est, & in specie existit, extra supradictum casum extremæ, vel grauis necessitatis non potes elemosynam facere, sed debes dominio restituere. Secus verò, si iam non existit in specie, neque ex elemosyna impotens redderis ad restitutionem faciendam, quia tunc ex propriis elemosynam facis, absque damno creditoris. Valquez *c. 2. de elemosyna, dub. ult.* Suarez *disp. 7. sect. 2. de charitate, n. 6. & 9.* Si autem impotens redderis ad restitutionem, clarum est te non posse elemosynam facere. Dubium tamen non leue est, an recipiens teneris, si mala fide accepisti, credens dantem reddi impotentem ad restituendum? Et quidem teneris, quia cooperaris damno creditoris: eius debum deteriorando. Si bona fide recepisti, & consumpsisti, non videris teneris, quia nec ratione rei acceptæ, quæ non existit, nec ratione iniustæ acceptionis, quæ